



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XLII. Vtrùm ad meritum de condigno requiratur ut conditio ex parte personæ operantis intentio obtinendi præmium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

satisfactionem pro omnibus: imò licet exhibeant, de hoc ipsis non constat, neque quod iusti sint apud Deum juxta illud Ecclesiast. 9. 1. *Nescit homo, arum amore, an odio dignus sit*: tum, quia etiam data promissione ex parte Dei, & condignâ satisfactione ex parte iusti, adhuc Deus censetur remittere in radice, quatenus scilicet contulit vires ad actum supernaturalem, quo mediante iustus satisfacit, & meretur de condigno remissionem venialium.

883. **Oppo. es 2.** Ratio offensæ in ordine ad illius satisfactionem, & remissionem de condigno petitur, & ponderatur ex persona offensæ; sicut ratio satisfactionis, & meriti ex persona satisfaciens, & merente; sed per peccatum veniale offenditur persona infinita, nempe Deus; iustus autem satisfaciens, & merens est persona finita; ergo inter illam, & Deum nequit servari proportio, sive æqualitas ad condignam satisfactionem, & meritum remissionis. Respondeo majorem esse veram, quando datur ratio offensæ simpliciter, quæ attingit propriè ipsam personam offensam, ut cernitur in peccato mortali: non verò quando ratio offensæ est secundum quid, & versatur circa quædam ipsi personæ offensæ quasi extrinseca, & adjacentia, qualis datur in peccato veniali; siquidem hoc, ut ait D. Thom. 1. 2. *quest. 88. art. 1. & 2.* & cum illo P. Soar. *romo 1. in 3. part. d. 4. sect. 9. §.* *Potesit verò. contra Deum propriè non est, nec circa eum in se ipso, sed potiùs versatur circa media ad illum.* Additur, peccata venialia non censei moraliter tanti ponderis, ut à persona inferioris ordinis compensari non possint, eorumque remissio de condigno mereri.

SECTIO XLII.

Utrum ad meritum de condigno requiratur ut conditio ex parte personæ operantis intentio obtinendi præmium?

884.



Hæc quæstio specialem habet difficultatem propter hæreticos hujus temporis, idèdque circa illam tria hæc sunt inquirenda: Primum, an hujusmodi intentio repugnet merito? Secundum, an sit necessaria ad illud? Tertium, an ad illud sufficiat? Sit igitur.

Difficultas 1. Utrum intentio obtinendi præmium in operante repugnet merito de condigno; sitque illicitum operari intentione, sive intuitu mercedis æternæ obtinendæ? **Negative.** Est de fide. Ita P. Bellarm. *lib. 5. de Justificat. cap. 8. P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. n. 3.* Probatur primò autoritate Scripturæ. Ecclesiast. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Et Matt. 3. 4. 5 & 19. ibi: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Et 1. Cor. 9. *Debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* Ex quibus, aliisque pluribus locis satis constat, licitum esse operari cum spe, & intentione mercedis accipiendæ; ergo hæc intentio non impedit meritum.

885.

Confirmatur exemplis Sanctorum deductis ab eadem Scriptura, siquidem David de se dicebat Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Et de Moyse dicit Paulus,

elegisse affligi cum populo Dei ad Hebr. 11. *Quia aspicebat remunerationem.* Et de Abraham, & aliis Patriarchis: *Qui enim, ait, hæc dicunt, significant, se patriam inquirere.* Et de seipso: *Ad destinatum persequor ad bravium æternæ vocationis.* Et ad omnes ad Galat. 6. *Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo meremur, & sæpè alibi; non autem Scriptura sic verbo, & exemplis nos induceret ad bene operandum; proposito præmio, si illius intentio meritum impediret; ergo &c.*

Probatur secundò autoritate Trident. *sess. 6. cap. 11. ibi: Constat eos orthodoxæ religionis doctrinam adversari, qui statuant, justos peccare, si suam ipsorum misericordiam excitando, & sese ad currendam in studio exhortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.* Ubi ex doctrina Concilii operandum est, primùm quidem propter gloriam Dei, deinde propter mercedem felicitatis æternæ. Et Canon. 31. brevius definit: *Si quis dixerit, justificationem peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit; ergo &c.*

Probatur tertio autoritate Sanctorum Patrum. D. Aug. in Psal. 120. ad illud: *Domine protectio tua, &c. Quid est, inquit, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua? Id est, quando facis opus bonum, propter vitam æternam facis..... Noli facere, nisi propter vitam æternam, ideò fac, & securus facies.* Hoc enim mandavit Deus. Et D. Hieron. *lib. 2. in Jovinianum, contra 4. proposit. Ideo, inquit, Paulus hoc facit, ut plus laborans, plus etiam mercedis accipiat.* Et D. Gregor. *hom. 13. in Evang. Nec castitas, ait, magna est, sine bono opere, nec opus bonum est aliquid sine castitate: Sed si utrumque agitur, refert, ut quisque illud à virtutis mundi hujus honestate contineat.* Idem habent D. Cyprian. *lib. de Exhortat. Martyr. cap. ult. & D. Ambr. in Luc. 16. ad illud. Quanti mercenarii, &c.* Ex quibus manifestè constat operari intuitu, & spe præmii bonum esse, & merito non repugnare; ergo &c.

Probatur quardò rationibus; Prima, quia vita æterna est finis fidei, & operum justorum juxta illud 1. Petr. 1. *Ut reportetis finem fidei vestra salutem animarum vestrarum:* & ad Rom. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam;* sed certò constat, creaturam rationalem operari propter finem, & ad eum omnia media referre; ergo non est ambigendum licitum esse creaturæ rationali inter operandum vitam æternam intuitu, & ad illam tanquam ad finem opera bona dirigere. Secunda, quia nobis licet propter metum gehennæ continere manum, oculos, & cor ipsam à peccato, & mandata Dei servare; ergo magis nobis licebit idem facere propter spem felicitatis æternæ.

Tertia, quia poenitentia, & Sacramentorum susceptio non vitiantur, si fiant causâ obtinendæ gratiæ Dei; ergo neque vitiantur opera bona, si fiant causâ obtinendæ beatitudinis, quæ est gratia consummata, atque perfecta. Quarta, quia omnium consensu licet in operibus temporalibus spectare finem temporalem, ut sumere pharmacum gratiâ sanitatis, arare, & serere spe fructus, currere, aut decertare in stadio causâ obtinendæ victoriæ; ergo etiam licebit in spiritualibus, in cursu, & certamine ab ipso Deo proposito ad bravium supernæ vocationis, sive ad beatitudinem attendere.

Quinta, quia intentio operandi propter mercedem supernaturalem non est mala, imò est ex objecto bona; siquidem beatitudo supernaturalis est verum, & magnum bonum, maxime consentaneum naturæ intellectuali, & objectum ita honestissimum, &c.

ut possit amari propter se; intentio autem consequendi illam fundatur in hoc amore, & in aestimatione, quæ creditur per merita perveniendum esse ad illam; sicque talis intentio ex objecto est honesta, & electio mediorem prudens, & etiam honesta; ergo per se non excludit charitatem Dei: tum, quia charitati non repugnat, nisi peccatum; in hoc autem modo operandi nullum est peccatum: tum etiam, quia bonum non est bono contrarium; hæc autem intentio est bona; ergo non est contraria charitati; ac proinde neque merito.

891. Oppositum videtur tenere Calvin. lib. 3. Instit. cap. 16. §. 3. & cap. 18. §. 2. & tenuit Burgantius quidam, qui in Catalonia damnatus fuit, dum diceret, opera bona vitari, si fierent intuitu mercedis æternæ; ut ex Bern. Lutemburgens. refert P. Bellarm. lib. 5. de Justificat. cap. 8. Unde: Objicies 1. Christus Dominus Joan. 10. à num. 12. mercenarios reprehendit. D. Bern. lib. de Diligendo Deo, sic loquitur. Non sine premio diligitur Deus, etsi absque premio intuitu diligitur sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. Et D. Thom. 2. 2. quest. 19. art. 4. ad 3. dicit, amorem mercenarium secundum se charitati esse contrarium; ergo &c.

892. Respondeo mercenarios propriè vocari illos, qui solam, & præcipuè mercedem intuentur; hi enim sunt; qui viso lupo fugiunt, & dimitunt oves, quoniam non pertinet ad eos de ovibus, id est, non ovium salutem, sed propriam tantum utilitatem attendunt; & hos reprehendit Dominus, D. Bern. & D. Thom. nos verò nō dicimus in bonis operibus solam, ac præcipuè spectandam esse mercedem, sed Deum, & ejus gloriam, tanquam ultimum finem; mercedem autem tanquam finem secundarium, qui propter Deum, ejusque gloriam speramus; cupimus Deum videre, atque ex ea visione nobis felicitatem comparare, sicque ardentius, & securius Deum ipsum diligeret.

893. Objicies 2. Sancti Patres sæpè detestantur amorem mercenarium, ut videre est apud D. Amb. lib. 7. in Luc. cap. 15. D. Hieron. in Isai. lib. 6. ad finem. D. Aug. tract. 46. in Ioan. & D. Gregor. hom. 14. in Evang. quod autem sic detestatur non est bonum, neque licitum; ergo &c. Respondeo hos Sanctos Patres, aliosque, si qui sint, locutos fuisse de solo amore temporalium commodorum, quem nos etiam damnamus, ut ex statim dicendis constabit.

894. Objicies 3. Quod servile, ac sordidum est, illicitum est; sed operari propter mercedem, servile, ac sordidum est; ergo & illicitum. Respondeo servile quidem esse, ac sordidum, sicque illicitum intueri mercedem opere ipso, & labore viliozem, qualiter faciunt, qui Deo præcipuè serviunt, ac Ecclesiastica, & spiritalia ministeria obeunt propter sola temporalia lucra: at verò non ita spectare mercedem eminentissimam, qualis est visio Dei; hoc enim nobilissimum est, ac honestissimum; siquidem amor hujus mercedis cum Deo conjungit, à rebus terrenis avellit, animam à pravis cogitationibus purgat, & ad custodiam mandatorum Dei excitat; vixque contingere solet, ut quis ardentem appetat Deum videre, nisi quia ardentem amat ipsum Deum amore amicitia, ita ut cupiat eum videre, quia eum diligit, & non quia diligit se ipsum.

895. Objicies 4. Deus amandus est amore amicitia, non verò concupiscentia; sed eum diligere propter mercedem est eum diligere propter se ipsum, sicque amore concupiscentia, & non amicitia; ergo talis amor non est licitus. Respondeo amorem

concupiscentia propriè dici illum, quo quis diligit alterum propter se tantum, & non etiam propter illum: si quis tamen diligit amicum præcipuè propter ipsum, etiam si secundariò mercedem operis ab illo spectet, non est amor concupiscentia, sed amicitia, & sic amatur Deus, cum spe mercedis accipiendæ amatur.

896. Difficultas 2. Utrum hæc intentio mercedis obtinendæ elicit ab operante necessaria sit ad meritum? Negativè. Est omninò certa. Ita P. Soar. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 12. num. 9. Probatur primò, quia hujusmodi intentio non est necessaria ad bonitatem operis proportionatâ premio: tum quia sine illa haberi possunt, & verus Dei amor, & opera ex charitate facta: tum quia hoc modo regulariter perfectius fiunt: tum etiam quia sic facta suâ mercede non carebunt, ut dicit D. Bernard. lib. de diligendo Deo: ibi: Non sine premio diligitur Deus, etsi absque premio intuitu diligendus sit; ergo non est cur talis intentio ad meritum requiratur; non enim multiplicandæ sunt conditiones meriti, quæ aut revelatæ non sint, aut ad valorem meriti necessariæ non probentur.

897. Probatur secundò, quia justus sine tali intentione potest efficere multa opera bona ex auxilio gratiæ per Christum dato; siquidem talia opera non pendunt ex illa intentione; imò potest justus illa facere ex solâ intentione implendi voluntatem Dei, quæ est honestissima, & sufficientissima; ergo tunc merebitur per talia opera sine intentione mercedis; consequenterque hæc non requiritur ad meritum. Confirmatur ex Trid. sess. 6. cap. 10. ibi: Cum Christus. JESUS tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem instuat. Nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus ipsis operibus, quæ in Deo facta sunt, legi Dei satisfecisse, & vitam æternam promeruisse censeantur. Ubi notanda sunt verba illa: quæ in Deo sunt facta, in quibus solum mentio fit de operibus factis propter Deum, & sine intentione mercedis accipiendæ; ergo &c.

898. Probatur tertio, quia operari virtutem in gratia, & ex gratia potest esse non solum absque intentione, sed etiam absque cognitione, aut saltem cogitatione mercedis; siquidem fieri potest, ut aliquis justus, & Christi fidem habens, ignoret præmium esse promissum bonis operibus, si non omninò, saltem quoad multa præmia accidentalialia; aut quoad veram illius perfectionem, & essentiam; & facilius accidere potest, ut de præmio non cogitet, cum bene operatur, quod non est reprehensibile, imò potius laudabile; sed factâ suppositione, non propterea carebit præmio, imò omnia illa merebitur bene operando; ergo intentio illa, aut cogitatio non requiritur ad meritum.

899. Oppones 1. Ad merendum necessaria est spes juxta illud 1. Cor. 9. Debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi; sed spes nihil aliud est, quàm intentio consequendi bonum, quod speratur; ergo hæc intentio necessaria est ad meritum. Respondeo primò, actum spei, ut ex verbis Apostoli constat, esse necessarium ad salutem, sed ut tempore suo habeatur juxta ordinationem divinam; non tamen esse necessarium ad singula opera meritoria, neque ut talia opera à tali actu procedant, aut formaliter, aut virtute ex illo relicta; siquidem aliquando in homine justo potest esse actus dilectionis Dei sine præcedenti actu spei; aut licet præcesserit, potest omninò præterisse, ita ut nulla illius virtus maneat; & tamen dilectio illa esset meritoria, ut patet ex dictis; ergo &c.

900. Respondeo secundò, licet actus spei suo tempore habendus necessarius sit, nunquam tamen esse necessarium operari, aut ipsam spem, aut aliquid aliud ex intentione illa consequendi bonum, quod speratur, tanquam merces operis; siquidem spes primò, & per se habenda est propter excellentiam sui objecti innitendo Divinæ promissioni, & potentie, & prout sic haberi potest sine intentione mercedis, ut merces est formaliter, licet non sine intentione illius boni, quod in præmium promissum est. Deinde respectu aliorum operum, quibus justus meretur, actus spei est optima dispositio ex parte personæ operantis, ut scilicet facilius, & suavius inclinetur ad operandum; non est tamen necessarius, ut imperet opus meritorium ad hoc, ut fiat propter mercedem obtinendam; hoc enim magis ad imperfectionem, quam ad perfectionem spectat.

901. Oppones 2. Operari propter mercedem æternam nihil aliud est, quam quærere regnum Dei, & è contra, quærere regnum Dei nihil aliud est, quam operari propter illius consecutionem; sed illius consecutio debet esse prima nostrorum operum intentio juxta illud Christi Domini Matt. 6. *Primum quærere regnum Dei*; ergo hujusmodi intentio est in primis ad meritum necessaria. Respondeo ex his verbis Christi Domini non sequi primò esse quærendum regnum Dei ex amore concupiscentiæ, aut necessarium esse operari propter illud obtinendum sub formali ratione mercedis; potest enim primò quærere gloriam Dei, & ex amore amicitie, quod est perfectius, & magis augens meritum.

902. Oppones 3. D. Paul. 1. Cor. 6. ait: *Sic currite, ut comprehendatis*: ubi ex similitudine vult, ut nos per opera ad vitam æternam tanquam ad bravium tendamus; sed qui in stadio currunt necesse est, ut primùm intendant bravium obtinere; ergo ad meritum vitæ æternæ necessaria est in primis illa intentio consequendi eam per bona opera. Respondeo D. Paulum nò aliud intendere, neque plus probare, quam probant, ac intendunt verba Christi Domini: licet igitur intentio victoriæ necessaria sit, potest tamen sub altiori ratione sufficienter haberi, ut patet ex supra dictis.

903. Difficultas 3. Utrum hujusmodi intentio possit sufficere ad meritum condignum tam ipsius intentionis, quam operis, quod ex illa fit? Affirmativè. Ita P. Soar. tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 12. n. 12. Probatur, quia justus potest habere hujusmodi intentionem, & ex illa bene operari, antequam habeat actum aliquem charitatis Dei super omnia dilecti; siquidem justificatus per Sacramentum cum sola attritione, priùs, quam diligat Deum propter se, & priùs, quam tempus occurrat, pro quo ad illam dilectionem teneatur, potest Deum sibi diligere, aut suam beatitudinem appetere, ac sua bona opera, & tanquam horum mercedem illam procurare; sed tunc homo sic justificatus merebitur, tam per ipsam intentionem, sive affectum ad beatitudinem, quam per opera ex illo facta propter beatitudinem, ut mercedem, ut constat tum ex supra dictis à num. 337. tum ex dictis in hac Sectione: tum etiam quia talis actus ex vi sui objecti bonus, & supernaturalis est, sicque meritorius; ergo hujusmodi intentio potest aliquando sufficere ad meritum condignum, tam ipsius, quam operis ex illa facti.

904. Oppones 1. Nullum datur meritum, quod actu, vel virtute non procedat ex charitate Dei; sed hujusmodi intentio proximè non procedit à charitate; neque opus, quod ab illa tantum habet origi-

nem, ullam habet relationem charitatis; ergo illa sola non sufficit ad meritum. Respondeo negando majorem, ut patet ex supra dictis à num. 339. licet enim nulla præcesserit relatio charitatis facta per speciale actum operantis, actus tamen ipse est de se conformis charitati, & illi deserviens, ac de se tendens in gloriam Dei, ac proinde satis ad meritum, licet non sit summè perfectum.

Oppones 2. Ex Trid. sess. 6. cap. 11. solum approbatur operatio, quæ fit intuendo mercedem æternam cum hoc addito: *Ut in primis glorificetur Deus*; ergo videtur definire, non solum, ne precipuè operandum esse amore mercedis, sed primùm propter gloriam Dei, & deinde etiam propter mercedem felicitatis æternæ. Respondeo primò Conc. Trid. aut solum posuisse, quod melius, & perfectius est: aut solum docuisse, quod certum, & extra controversiam debet esse inter Catholicos; non tamen propterea definitivè totum illud, quod est necessarium, & potest sufficere. Respondeo secundò, eò ipsò, quòd justus operando debito, & honesto modo mercedem æternam intuetur, in primis etiam intendere gloriam Dei, saltem virtualiter; siquidem totum illud in gloriam Dei cedit, & in illum ut ad ultimum finem ordinatur.

SECTIO XLIII.

De conditionibus requisitis ad Meritum condignum ex parte Dei præmiantis.



UJUSMODI condiciones, prout supra diximus, communiter assignantur Ordinationi, & Promissio Divina, quas licet aliqui non distinguant, verius tamen esse distinctas, ut docent P. Soar. tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 17. num. 1. P. Amicus tomo 3. d. 35. sect. 3. n. 40. & alii infra citandi; siquidem ordinatio latius patet, quam promissio; licet enim omnis promissio sit ordinatio; non tamen omnis ordinatio est promissio; nam potuit Deus nostra bona opera ad præmium ordinare, quin se obligaret ad illud dandum, sed id liberalitati suæ reservando, ut daret, vel non daret, prout ipse vellet. Quærendum igitur nunc est: utrum, & quomodo utraque requiratur ad meritum condignum? Item ex quâ virtute Deus, suppositâ ejus promissione, remuneret merita iustorum. Tandem utrum Deus possit hominibus obligari ex propria justitia commutativa? Quæ omnia per sequentes Sectiones decidentur.

Advertes primò, Ordinationem Divinam variè à variis explicari: Quidam dicunt ordinationem divinam esse determinationem meriti à Deo factam ad certum, & determinatum præmium; siquidem eum idem meritum posset de se remunerari diversis præmiis, nempe aut beatitudine, aut auxiliis congruis, aut aliis donis supernaturalibus; hoc, aut illo tempore, quod sit remunerandum hoc certo, ac determinato præmio, & in hoc determinato tempore, fuit ordinatio divina.

Alii dicunt in tantum à Deo ordinari meritum ad præmium, in quantum apud se liberè statuit minus aliquod elargiri pro opere bono. Et in hoc sensu ordinatio divina coincidit cum acceptatione divinâ; siquidem idem formalissimè est, statueret apud se dare præmium pro bono opere, atque acceptare opus bonum in ordine ad præmium.

Alii distinguunt ordinationem divinam in intrinsecam,